

AT. Ille est revera patre dignus. Video
Civis venire. Omnis hercle vires amisi cito.
In porticu pauxillum quiescere volo; ibi quoque
Recte possunt, quae hic verba fiunt, audirier.¹

SCENA V

APPIUS, VALERIUS

AP. Vidistin? — VA. Ita. — AP. Programma tribunorum? —
[VA. Etiam; quid multum rogas?
AP. Nec fuisti iratus? — VA. Cur irascar uni filio,
Qui patrem ex turpibus liberare concupiscat vinculis?
AP. Senator es atque patricius, nec futuram tamen
Metuis calamitatem? Plus in istac re latet,
Ego Appius dico hoc tibi. Quia Atili de plebe sunt,
Eos appellare patres non patitur superbia.
VA. Magnam istaec accepit calamitatem domus.
AP. Heu effrenatos! Ad plurimum res procedit audaciae.
Non illi pol senatum ab se reputant irritarier
Ac perurgeri, ubi illos supplicare oporteat.
Nunc ibo ad consulem; veni sis mecum, si placet.
VA. Nam quid ibi ego tandem, si ibo, faciam?
AP. Senatum oportet tueri dignitatem suam.
Heu, ego odi hos Atilios plebeiosque omnis; nullus est
Magistratus populi, in quem non conentur invehi.
VA. Quodque peius etiam, magistratus nullus est,
Ad quem gerundum non satis facultatis habeant.
AP. Ne tu pol iocaris. Sed me sequere, si lubet.¹

SCENA VI

SEXTUS, TULLUS, MARCUS

SE. Senatum, credo, vos scitis hodie temperi
Esse conventurum; Metellus consul transibit hac via.
TU. Ergo hic maneamus; propius huc accedite.
SE. Amici, modo ne proxime, nam lictor clamabit: secedite!
Tum vobis discedendum erit. Hoc edepol evitari potest.
TU. Ita est, Sexte carissime, vocem illam: secedite,
Semper mihi coram audire videor propriis his auribus.
Audite, cives! Quom consul adpropinquat, exclamate; nam
Mehercle vir ille hoc commeret. Acre fuit illud proelium.
Centum ex Sicilia vexit elephantos et quomodo?
Haud parvo labore; faciendas enim curavit ratis
Stabulis armentorum similis; bestiae nesciae,
Quomodo res se haberet, intrarunt simul.

¹ Exeunt.


(Ad proximum numerum). O. amidesiv con teini xom, stel

ALMA ROMA

QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **ALMAE ROMAE** collectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 525 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1050, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIII

Romae, Mense Martio MCMXXXVI

Fasc. III

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite* mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96* sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, *Città del Vaticano*.

2) — DE SACRO FATO URBIS ROMAE¹

Arcanum nomen est ROMA, nec minus Romae fatum arcum; Urbis nimurum aeternae nec magis saeculis, queis gloriaatur, praeteritis, quam aevis quae ventura praesentit. Urbs namque haec est, quae, pagana in Tiberis ripa dum condit pedem inque sacris catacumbarum ambigibus, caput ad astra extollit, ut flectat coram throno Dei. Quodsi, ut maximus eius historicus scripsit, fabularum caligo origines eius obumbrat, quia datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat,² Dei Providentia, quae mundi orbem gubernat, atque immutat per tempora regna, deque gente in gentem exque una stirpe in aliam homines ac nationes consternat et erigit, Romanam Urbem gentemque Romanam in eum ordinavit instruxitque finem, qui naturalem sapientiam omnem praetergredetur, inque eumdem occulite

satagens, humanarum contentionum facinorumque inscias intendit undique sortes.³ Roma enim, in orbis caput electa, inque eius religionis sedes ac centrum, qua una homines rite Déum adorant, multa per saecula variasque per caedes, quae nec virtutem eius vicerunt nec animum, hinc bellica virtute inde vero publica civilique prudentia regum, consulum, Caesarum, terrarum imperium late obtinuit, prophetarum Sybillarumque visionibus vatunque carminibus divinatum sine fine perenne. Hoc quidem fuit non peritum pretium virtutis, quod Deus, qui bene facta cuncta remunerat, quamvis ea brevia quamvisque caduca, fortibus Quiritibus largitus est, diu licet ignaris consiliorum eius arcanarumque voluntatum.

Quumque igitur sub Romana ditione totus est orbis in pace compositus, tunc Iesus Christus Dei Filius, factus homo mundique Redemptor, Rex, Pontifex, Prophetæ ac plus quam Prophetæ prætermundaneæ aeternitatis, in terram descendit, natalisque sui diem fecit centrum ac plenitudinem aevi caduci, suoque Nomine ae-

¹ Oratio habita a Purpurato Patre Eugenio Pacelli, a publicis negotiis Summi Pontificis Pii XI, de Romae Christianæ studiis auspicandis apud Institutum ad Studia Romana provehenda. Quod autem vir Eminentissimus pro sua benignitate concesserit ut latine redita in nostris paginis ederetur, ALMA ROMA amplissimas gratias habet et refert.

² Liv., *Ab urbe condita libri*, Praefatio.

³ ALIGH., *Conviv.*, IV, 5).

vum init, cuius non sit terminus nisi in saecula aeterna.

Sed Eum nesciit Augustus qui, edicto universi imperii censu, e Nazarena domo ad Bethlemiticum specum Mariam abduxit; Tiberius ignoravit; Claudius Nero in primis fidelibus eius persequutus est.

Non tamen quisquam vestrum miretur Christum, — Viam, Veritatem, Vitam, — despici a sapientibus mundi; nam veritas odium parit, virtus autem, quo splendidior et altior, eo magis aemulationem, irrisio nem, iniurias non minus ab impiis, quam a terrenorum bonorum voluptatumque asseclis iuge provocat.

Sed humanae faces, Christi martyrum textae corporibus, eam lucem edidere, quae longe vinceret sive imperialium aedium, sive hortorum splendorem, sive Fori cuiusvis imperialis omnem magnificantiam; dum per urbani soli catacumbas Pontifices, cumque eis sacerdotes, virgines ceterique Christifideles, fundamina condunt ac necunt novae Urbis novique Imperii, cui non amplius Caesarea legionum aquila, sed Iesus Nazareni erit pro vexillo Crux.

Non igitur confundit Deus sapientiam mundi huius? Quis enim romanis praetoribus iurisque consultis sapientior? Aut quis magistratibus illis imperatoribusque prudentior unquam? Deus autem — Bos-sueti verba sunt Episcopi celebratissimi —,⁴ ut sapientiam hominum unus novit semper alicubi mancam, eam ipse illustrat eiusque dilatat fines; at si forte sibi suaeque infirmitati et ignorantiae relinquit, ita obcaecat eam atque evertit, inque se ipsam confundit, ut versutiis ac fallaciis denique implicetur atque obvolvatur suis. Quo tunc perficit Deus metuenda iudicia sua, ad normam iustitiae non fallibilis unquam.

⁴ Discours sur l'histoire universelle, 3, 8; Œuvres complètes, Paris, 1846, V, p. 481.

« Nam ipse est qui per remotas causas ultimos ordinat eventus, eaque interdum, quae tamdiu resonant, ingentia vulnera hominibus infert; quos si ipse voluerit ictu gratioso ferire, vel decreverit eorumdem imperia delere, omnia tunc humana consilia nulla, irrita ac vana cuncta cadent ».

Non secus publica Caesarum prudentia tunc cessit Christo; quae, videlicet, Iovi timens Deaeque Victoriae, operibus magnum hominum, queis coram triumphi magna signa adhuc inflectebantur, intentis consiliis et cogitationibus contra innocentes cives mala cuncta molitur, quibus unum erat summumque crimen pro humanis diis, nemini sospitando potentibus, unum vivum eudemque aeternum adorare Deum.

Tunc igitur ethnica sapientia, suae permissa impietati, manum ultricem infuste tendit in sanctos, qui, vel per christiana tempa illa prima, vel per subterraneas Urbis cryptas, mysticum adorabant Agnum, qui tollit peccata mundi, Amore nisi Speque Fideque, unde eis fuit de mundo victoria.

Ex quo duo hinc pugnarunt exercitus; tenebrarum alter, alter autem supernae lucis; dumque hic per catacumbas latet, ille per amphitheatra perque Iovis tempa grassatur. Nox tamen est per christiana cubicula dies; sol autem per superba perystilia Venerisque Vestaeque tenebra est.

Nam per veneranda loca perque cubicula noctis, quae incruentum sacerdotium, quae pietas ac virginitas, quae sanguis denique et holocausta martyrum sancta faciunt, Dei consilia et manus novam iam condunt, exstruunt ac fingunt Roman, eamque Petrianam, Piscatoris Galilaei novique Pastoris populorum animarumque imperatoris; cuius sit socius, quamvis auctoritate minor, Paulus, gentium Apostolus, ut novi quasi consules christiana reipublicae uteque consulat.

Haec est itaque Roma arcanum Dei, Tiberisque fluminis mysterium ultimum,

cuius undae erunt animis pro novo Iordanem qua semper cogitur ora quisquis non fuerit per moestum Acheronta reli-

[ctus.⁵

Haec nempe Roma est, Cesarea potior, quae

per damna per caedes ab ipso
ducit opes animumque ferro . . .

quamque:

Menses profundo, pulchrior evenit.⁶

Nam, equidem, e sacris illis favissis splendidior tandem post Constantini vexilla psallens ac triumphans civitas egreditur martyrum purpura pulchra, conspicua pontificum infula, induita virginum liliis, lauris coronata fidelium, radiisque fulgida solis, Caesaresque et Augusti trophyae vel saecularibus inclyta longe altiori triumpho.

Non alio igitur arcano Dei divina Romae fata in Christi Fide conduntur, cuius est de omni paganitate sive veteri sive recentiori victoria. Iamque ex hac Roma Christi Ierusalem nova nascitur: « Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae ».⁷

Videte igitur populum novum, acceptamque Deo civitatem, ductu Pastoris ac magistri nutu credendique agendique sapientia infallibili, gradientem in saecula, per barbaros omnes, post Crucis vexillum, ad sacros quidem nec cruentos tamen triumphos, atque ea ingeminantem cantica Fidei, quam doceat universas gentes. Ius enim hodie sunt illi verba ac iussa Dei; vis autem non in astu neque in versutiis falsae mendacisque prudentiae est, quae iustitiam veritatemque mentiat, sed per augustum iter moralis sapientiae graditur, editae lumine vultus divini, perque eum iustitiae splendorem, qui magnificat gentes. Nam per redemptionem animorum super-

naturalem e Christo oritur atque nascitur nova hominum generis humanitas; quae et cuncta collegens et omnia sibi addicens quaecumque fuerint Athenis aut Romae optima, genus omne hominum ad metam denique adducit, non mendacis iam libertatis, fraternitatis, aequalitatis, in quibus, iuxta Paulum, Gentium Apostolum,⁸ « non est Gentilis et Iudeus, barbarus et Scytha, servus et liber: sed omnia et in omnibus Christus... ».

Itaque ut Roma urbs decreto Dei eligitur una sedes Pastoris Christianorum, ovilisque unius, sic una eademque est illis meta unitatis humanae, quam Jesus Redemptor in pervigilio Passionis ac Resurrectionis auspicabatur, non tamen apostolis tantum suis, sed et omnibus, qui per eorumdem verba credituri essent in Eum; pro quibus cunctis Patrem exorabat: « Ut omnes unum sint sicut tu, Pater, in me et ego in Te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quod Tu me misisti ».⁹ Quamobrem nos, Christo geniti, credimus in Dei amorem pro nobis: inque ipsa figura veteris atque idololatridis Romae, quae tot iam populorum exstitit mater communis, sibique et cives et filios ex ipsa barbarorum sobole optavit:

Fecisti patriam diversis gentibus unam,¹⁰ praeuniantiam hanc agnoscimus Romam Christi, omnium Ecclesiarum matrem et caput, cunctisque Dei filiis communem patriam, iisdemque per baptismale lavacrum gratiamque regeneratricem futuris cibibus supernae illius Urbis, cuius Romanus civis est Christus.¹¹

At, si communis Christifidelium mater est Roma, non talis est nisi per Romanum Pontificem Summum, Christi Vicarium ac Petri haeredem, Principis Apo-

⁵ ALIOH., Purg., II, 104.

⁶ HORAT., Carm., IV, 4.

⁷ Ephes., IV, 4.

⁸ Coloss., III, 11.

⁹ IOAN., XVII, 20, 21.

¹⁰ RUTIL. NUMESIAN., De reditu, I, 1, c. 1, 63.

¹¹ ALIGH., Purg., XXII, 102.

stolorum, cui Christus ipse commisit munus pascendi oves et agnos gregis sui totius. Quare pulchrum et gratum est cogitatu communis Patris Vaticanas aedes easdem esse communem domum omnium Ecclesiae filiorum, quotquot videlicet e cardinibus terrarum quatuor ad Romanum Pastorem oculos animumque convertunt.

Nam, si ubicumque gentium vivit Christifidelis aliquis Romae filius, Roma ibi vivit; in Vaticano autem colle, super Petri sepulchro, sublime extollitur culmen Urbis, suum quod lumen emittit usque ad fines ultimos terrae.

Una enim, in angulo illo terrarum, quem in ripa Tiberis, per Lateranense foedus, Romanus Summus Pontifex reliquum sibi esse voluit liberum regnum, e tot nempe dominiis, quibus diuturna avorum pietate per saecula ditatus esset, manet adhuc cuiunque fideli peregrino meta communis, communisque ovilis centralis lapis, unusque pastoralis magisterii fons, Fideique inextincta ardet taeda atque veritatis.

Cuius videlicet una luce humanum genus omne, densas inter tenebras procellaque cupiditatum, errorum, peccatorumque, eum inveniat adhuc portum pacis ac salutis in quem iussu divino contendat.

Illuc igitur, circa paternam ac candidam Christi Vicarii dignitatem, cum Purpurato Senatu Principum Ecclesiae, pulchre convenit varietas tum Episcoporum tum cleri alterutrius sacrorumque rituum multarum gentium, collegiorumque levitarum ex omninatione; illuc reverentes reges spectant populorumque duces, nec secus optimates atque plebei, docti indoctrine, proceres et humiles, sacrae virgines recensve nuptae, pueri puellaeque certatim. Qui ex omni terra ac gente, ultra citraque maria cuncta convenient, ut communis Patris ore manuque laudem obtineant vel hortatum, monitum vel solatium, consilium, auspicium, benedictionem. Montes enim ac maria superant verba eius, qui Apostolica

voce docet, admonet, incitat ad bonum, fraudes iniustitiamque condemnat, familiam rempublicamque tuetur, opifices patronosque conciliat, potentes fraenat, confirmat humiles, unaque semper eademque magnitudine cordis omne filiorum infortunium infelicitatemque amplexatur, cumque eis una dolet, obliquat, orat, tot licet inter commotas in Ecclesiam pugnas et excita odia, non unquam diffusus Illius praesidio, qui vicit mundum, quique se Ecclesiae suae adfuturum spopondit usque ad consummationem saeculi.

Quamobrem Romana fata nonnisi Christi Vicario mancipantur, eique adsunt atque obsequuntur in metu ultra terrenam nullius unquam fato alterius superanda urbis. Ierusalem namque sacerque olim populus non amplius exstant urbs aut populus Dei: ex quo enim Roma facta est nova Sion, factus inde est Romanus omnis populus qui vivit Fide Romana.

Quare, etsi multae florent urbes Romainiores vel frequentiores civibus aut ambitu multo latiores, quibus gentes multae superbiant; ac licet varia gentium historia civitates aliquando extiterint nostra doctiores, urbs tamen ac civitas aeternae Sapientiae, Veritatisque sanctitatisque domicilium, civibusque suis adeo alta sedes, ut eos usque ad caeli limen extollat una Roma est,

..... sacra condita terra
Haeres qua summi sedeat per saecula Petri.¹²

Latine vertit I. ANTONELLI COSTAGGINI.

¹² ALIGH., Inf., II, 23-24.

Sicut in radice arboris nulla prorsus appetit pulchritudinis species, et tamen quidquid est in arbore pulchritudinis, vel decoris, ex illa procedit, sic ex fidei humanitate quidquid meriti, quidquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit.

S. AUGUSTINUS.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA¹

AETAS NEO-LATINA.

Claudit aetatem medium aperitque novam receptio iuris romani apud omnes Europae cultas gentes; non ubique eodem plane momento, sed sensim, gradatim, nec generali Principis edicto, sed vitae usu impellente.

Primum id factum esse in Italia mirabitur nemo, qui consideraverit heic ius romanum esse plane sua in domo, nec unquam obsolevisse, quamvis oppressum ac paene oblivione atque ignorantia obrutum. Non igitur illa Pandectarum inventio in Amalphitana oppugnatione; non constitutio ulla Lotharii II e somno atque latebris apud nos romanum ius excitavit, sed fata ipsa historica, non sine providentissimo atque praesentissimo numine, in libertatem italicae revocarunt civitates, quae, discusso exterorum iugo, nihil antiquius habuerunt quam cultum, litteras, artes, iura, vitam recolligere suam, reficeri, restituere ac fovere, animam inquam italicam, eamdemque romanam. Itaque imperatorem ius aliud nullum decet quam romanum; Ecclesia nullum aliud adeo extulit atque adhibuit quam romanum; nullum Communia italicia aliud sibi praesens atque magis accommodatum sensere quam romanum; nullum iurisperiti elegantius invenire quam romanum; idque docuere non ad historiam, sed ad vitam, non quasi obsoletum, sed quasi plane vi gens; non alienum atque externum, sed maxime proprium atque nativum; id ius civitatis, id ius civile; id tandem unum adversus imperatores et adversus dynastes superbos habuere unum, inoppugnable

¹ Cfr. fasc. sup.

praesidium atque munimen. Bononia iuris magistros dedit non Italiae modo, sed Galliae, Hispaniae, Angliae, Europae universae; ad saeculum usque XVII Bononia ceteraque Universitates italicae iura omnes Europae populos docuere.

In Gallia pariter ius romanum latissime obtinuit, nec eversum deletum fuit ab invasoribus; codex enim Theodosianus etiam Wisigothis et Francis viguit una cum collectione iustiniana, ex qua ius romanum facilius hauriri posse videbatur; idcirco quum renovata in Italia sunt studia iuris, nova lux et Gallis affulsit, et nobilissimi italicici magistri eo migrarunt, et illinc Bononię turmatim confluxerunt discipuli, iuris romani cupidi. Nihil igitur mirum, si iam saec. XIII et XIV ex romano iure, nullo homine contradicente, decernebatur in foro, et quum dicebatur maxima pars Galliae iure scripto regi, significabatur ius romanum; sed et in reliqua parte, quae consuetudine regi dicebatur, ius romanum in vita iam insitum latebat, et in moribus populi; quam ob rem libentissime ibidem ab Italia, et opera magistri iuris excipiebantur usque saltem saec. XVI; nam ius romanum ibidem erat ipsum ius civile vi gens ut apud nos.

In Hispania ius cultusque Romanorum altissimas fixerat radices, ut vel hodie manifesto appareat.

Wisigothi, ut nemo ignorat, non ipsi coepisse, sed potius capti fuisse videntur; et licet vetuissent usum iuris romani, nihil prorsus obtinuerunt; ideoque iis non improbantibus compilationes antei justinianae et iustinianae usui nunquam non fuerunt; quas Arabes neque sustulerunt, nec praepediverunt. Quapropter, quum ineunte saec. XI Arabum opes labefactari coepissent, et dein collapsae sunt, nova regna christiana ad ius romanum pro viribus redierunt, auctum quidem tam multis no visque elementis, moribus alte insitum populi; unde facile recepti ibidem sunt facto

ipso italici magistri, atque italica doctrina, quae tanta copia fundebatur a scholis nostris atque ex operibus. Accursius, Bartolus, Baldus, postea autem Cuiacius maximo in honore fuere, atque ii, quorum auctoritate decerneretur in foro, definiretur in schola; studiorum Universitates, cum primus Salmanticensis, Italicos quoque habuere magistros; quae iuris romani vestigia S. Isidorus religiosissime suis servaverat *Etimologis*; quae Iacobus magister suis floribus iuris, quasi ligamen extitere inter vetera novaque tempora; quas leges ediderant Alfonsus rex sapiens, quasque Alfonso V, rex Lusitanorum, eae decerpae sunt, magnam equidem partem, e iure iustiniano; ius enim romanum animam imbibit hispanicam; ut quem legum ferendrum Coetus Complotensis (*Cortes de Alcalá*, a. 1348), e praeiudiciis «nationalismi» praeposteri, ius romanum prohibuerit quominus in foro adhiberetur; nemo paruerit, atque prohibitione qualibet revocata in universa peninsula hiberica, ubique romanorum ius receptum fuerit, atque ad res novas aptatum.

Serius receptum est a Germanicis populis, quippe qui serius ad iuris cultum pervenerunt. Quam autem imperium, saec. IX exeunte, ad eos transit, et tanti privilegii atque honoris aestimare magis coepere pretium, tunc ius aliud nullum magis romano imperio accommodatum visum est quam ius romanum; atque uti Iustinianus imperator, Byzantii sedens, romanum tamen ius uti suum saec. VI colligendum promulgandumque curavit, ita saec. XII novi imperatores romani, quamvis procul ab Urbe in Germania sederent, revocandum, refovendum, excolendum curaverunt idem ius romanum veluti suum, vehementer faventes iurisconsultis atque scholis italicis, quarum ad exemplum tandem alias ipsi excitavere in Germania, ubi Bononienses atque Italici magistri maxima in aestimatione erant, ut satis ostendit Spe-

culum saxonum, eiusdemque glossa, *Processus iudicij, Manipulus seu Directorium iuris, Liber sententiarum*. Sed iuri romano recipiendo magis contulit reapse forus, praesertim postquam popularibus scabinis docti successere magistratus, post a. 1495, quo constitutum est *Tribunal Cameræ Imperialis*, ut decerneretur ex iure civitatis et ex iure romano. His adde Universitates, ubi nonnisi ius romanum atque canonicum (*Utrumque ius*) edocebatur; quaeque non raro decernebant etiam uti supremum tribunal; adde non pauca opera minora accommodata ad laicorum populariumque captum (*Leienspiegel, Klagspiegel*), quibus omnibus maxime divulgatum et ubique receptum est ius romanum, quasi locorum ius integrativum, ius, inquam, prout erat corpore iustiniano collectum, glossa commentariisque italicis exornatum.

Ceteras civitates praetereo, quia nondum adeo in scientia iuris profecerant, ut aliquid sibi proprium haberent, et moribus potius quam legibus vivebant; quamquam et eadem ius romanum facto ipso recepisse dicendae sunt, ut Anglia, ubi iamdiu id edocebatur.

Ita sensim ius romanum rediit omnibus commune.

SYLVIA ROMANI.

AD CHRISTI SEPULCRUM

*Quid iuvat exstructi dives fortuna sepulcri,
Nomen ut extremo a funere vivat adhuc?*

*Tempus edax passim ruit omnia, fulta columnis
Marmora, et incisis grandia saxa notis.*

*Quae busta heroum cineres clausere, ruinis
Sparsa atque annorum pondere victa iacent:*

*Quorum inter lapidum serpens sinuatur acervos.
Iniecta et densis sentibus horret humus.*

*Anne tuae superant operosae, Caria, moles?
Num stant pyramides, barbara Memphi, tuae?*

*Tantorum vix illa operum vestigia restant
Heu male desertis obruta ruderibus!*

*At non ista tulit saeclorum damna sepulcrum,
Quod te, Iesu, olim condidit exanimem,*

*Et te conspexit victorem evadere, cum mors
Eversa indoluit iura fuisse sua.*

*Illud Religio rapidis defendit ab annis.
Nec sivit caeca nocte situque tegi.*

*Ipsa etiam imposito custos sedet addita templo,
Et sanctum memori servat honore locum.*

*Ipsa peregrinum extremo qui litore venit,
Suscepta ut posset solvere vota libens,*

*Excipit et casta fundens dulcedine pectus
In lacrimas cogit molliter ire pias:*

*Oscula qui sacro libat saxo, et bene dicit
Longinquae pretium se retulisse viae.*

*Christiadumne acies et paeclaræ agmina, narrem,
Et pugnata pio bella cruenta solo,*

*Ne quae testantur nostram monimenta salutem
Starent barbarico victa tropaea iugo?*

*Tunc sacra signa suis gentes de sedibus actae
Certarunt ultro militiamque sequi;*

*Quas nec amor patriæ, nec tecti cura paterni,
Otia nec certi detinuere laris.*

*Esse pudet segnes, quum forti classica cantu
Et procul Europæ a finibus arma vocant.*

*Iam coniuratae dant ventis linteæ prorae;
Summo Crux malo fixa secundat iter;*

*Dum sua tam multo undis indignantibus aequor
Aestuat Ionium remige regna premi.*

*Quanta Palestinae spectabis proelia tellus,
Quae caedes agros imbuet atra tuos!*

*Nam Christi iuxta componi rite sepulcrum
Visum est egregii funeris esse decus:*

*Visaque ibi est pulcrae Victoria laudis, opimas
Christus ubi e letō retulit exsvias.*

H. N.



NOSTRA RES

Ad renovandum latinae linguae usum.

In commentario «Societas Latina» superiore mense Februario edito, haec in fasciculi capite leguntur:

Sub titulo «Nostra res» ephemeridis «Almae Romæ» moderator illustrissimus in fasciculo duodecimo a. 1935 graviter accusat Societatem Lat. Monac. propter commentariolum in tertio fasciculo a. 1935 a me¹ publicatum sub titulo «Lateinische Zeitschriften». Agitur de generali quaestione, quatenus novis horum temporum rebus effingere liceat nova nomina; singularis quaestio pertinet ad voces postae et tesserae postales.

Valde dolendum est, quod A. R. moderator, permultis ex annis linguae latinae propugnator fortissimus, non paulo plus temporis impertire potuit legendo illi commentariolo; nimis scilicet occupatus est in negotiis. Si diligentius legere potuisset, ut alia omittam, certe non scripsisset quae sequuntur: «Damnat vero perfracte ob verbi usum a Petronio factum» — hoc quoque crimen est iniquum — «adversarius noster, qui cum Dumeno...». Cum Dumeno? Quasi ego essem assensus Dumeno! Sic quidem facultatem usurpat A. R. moderator perspicue depingendi confusionem, cuius auctorem me esse vult — nullo iure.

At alteratio cui bono? Iudicent ipsi lectores! Inserire linguae Latinae eiusque usui renovando, hoc nobis proposuimus. Idcirco interrogare liceat amplissimum ac reverendissimum A. R. moderatorem quomodo effici posse putet illum quam ipse assensus mihi ducit necessarium «congruentem ad rem omnium cultarum nationum laborem». Ephemeridum latinarum moderatores primo loco vocati esse videntur ad agendum; gravissime enim sentiunt necessitatem. Quomodo igitur constitui poterit eiusmodi senatus internationalis, qualem omnes desiderant, sive iudicium collegium? Almae Romæ moderator, vir de lingua Latina omnium optime meritus, omne feret punctum laudesque suas cumulabit proposito apto de hac re consilio.

Almae Romæ moderator, (eo tantum «reverendissimus», quod iam proiecta

¹ Doct. Georgio Lurz.

aetate pater familias), interrogationi statim respondet: Si ephemeredum latinarum moderatores primo loco vocati esse tibi videntur ad agendum, agant ecastor! primi: constituent scilicet, propositae alicui voci aut argumento, cui voces suppeditandae sint, suas paginas quasi suggestum, quem in contionem ascendant quotquot latinam linguam callentes eius usum restitutum cipiunt; ex condicionum relationibus harumque disceptationum iam satis in tuto ponetur quaenam vocabula praferenda occurant; utrum latina, si iam exstiterint quae revocanda sint, an nova ad rem rationabiliter adhibenda. Iudex, numerus plurius, frequentior nempe scriptorum accessio, esse poterit... in primo saltem voluntario iurisdictionis gradu, donec magistrorum aliquis apud aliquam societatem aut academiam coetus constitui liceat, cuius sit cribri partes agere. Ecquid non experiamur?

Sunt tamen certae regulae constitutae, ne, exempli gratia, disceptationes per plures commentarii paginas productas quis vix triginta linearum spatio infirmare praesumpserit, et quidem non principia ac fundamenta circumfodiens, sed adminicula promiscue ita adgrediens, atque involvens, ut quam confusionem ipse ingeneret, in adversarium vertere non dubitaverit.

Pariter curandum erit, ut quisque latine, pariterque sermonis genere profluente, scribat, non quidem sua cuiusque lingua, si unam linguam communem hac etiam ratione, eaque praecipua, constituere volumus, quia non ab omnibus exterarum linguarum cognitionem exigere possumus: *crimen autem iniquum* vere esset contra adversarium, proprii civitatis nostrae sermonis non apprime peritum, aliquid insurrare quod eius religiosam iustitiam et animi aequitatem laedere possit: huiusmodi enim agendi modus, non minus quam ira et «alteratio», eorum proprius est, qui bonis indigent argumentis.

De re a clarissimo nostro Avenario literas quae sequuntur accepimus, cui in proximo numero rescribemus:

ANDREAS AVENARIUS IOSEPHO FORNARIO doctori, generoso *Almae Romae* moderatori S.

Nimium, nimium iam diu exspectas, optime Fornari, neque ipse putavi annos tres (anne sunt quattuor?), tot me menses, tot me annos posse versari in latibris silentii. Sed si apud me essem, non ita tibi statueres mirandum: nam vides trusum et agitatum in partes diversas hominem, et te mei misereret, sicut me ferei miseri: nam sentio planeque video te quoque assidue torqueri in mola negotiorum. Sed ne plura (molestiae sunt excusationes, et Gallorum proverbio se, qui excusat, accusat) ad scribendum me refero.

Sed antequam incipio Herderianas pangere paginas (nam quae sum scripturus inscribentur *Pagina Herderiana*) tibi proponam, quid me his mensibus non semel ad scribendum impulerit. Mense Septembri, quum *Societas Latina* (noveris de Latinitate commentarios) allata esset, egoque legissem de *Alma Roma*, et cogitationem mentemque defigere coepissem in illis, quae illic de puritate sermonis novandisque vocabulis explicabat Lurtius, doctor Monacensis, statim ego, qui nossem omnem tuam de his rebus sententiam, mecum tacitus: Quo haec leget animo Fornarius? Et ecce tibi! In liberis illis a pittaciis responsis (quae partim ad me quoque spectabant) mensis novembris icit aures meas illius articuli echo. Postea *Rem nostram* perspexi in *Alma Roma*, et quae huic rei Lurtius, ex supremis studiorum praefectis, respondit mense februario in Societate Latina.

Omnia consideranti imprimis laudanda esse videtur constantia tua, quod tu tibi semper notandam putas atque impugnan-

dam nimiam in novis vocabulis licentiam. Nam si qui coeperint vulgaris sermonis vocabulis terminaciones dumtaxat Latinas adglutinare, de lingua Latina actum erit. Sed tamen Societatis Latinae propositum hoc est, ut retineat classicae linguae conformatiōnē, novari tantum vocabula novarum rerum nonnullis locis necesse esse. Sic est in auguratione Societatis Latinae, quam idem Georgius Lurtius scripsit anno 1932, mense octobri.

Non est profecto, o Fornari, cur timendum esse videatur, ne ab hominibus Germanis turpiter vitietur sermo vere Latinus. Germani enim transeuntes ad Latinam linguam totam suam coguntur relinquere, ex quo fieri videmus, ut, si qui ex illa natione viri rei nostrae se tradere statuerint, Latiniores fere evadant, quam qui ex Romanis, quae dicuntur, terris orti eandem linguam profiteantur. Itali, Galli, Hispani, Lusitani, quum Latina legentes non pauca ultro intellegant, se facile linguam Latinam callere censes illam praetermittunt industria, diligentiam, assiduitatem, qua qui non sint usi, immo vero cotidianis fere exercitationibus utantur, spiritu linguae Latinae affluent nunquam. Hic ita accidere solere non semel accepi a sodalibus meis, qui studia Romana frequentavere, hoc intellego ex quorundam virorum litteris.

Quae quum ita sint, a Monacensibus amicis nihil verendum est nobis. Sed si forte hoc te moveat, quod Lurtio illi posta probetur, haud scio an etiam illa quondam academia internationalis sit probatura vocem. Nam etsi cursus publicus et diribitorum antiquiora sunt, ibisne infinitas internationalem hanc vocem quae est *posta*, quae praesertim radicem trahat ex sermone Latino, simplicitatem subministrare ut ita dicam appellatoriam maiorem, quam cursum publicum? Non credis, quod mihi ita prorsus esse videtur, multo dici significans *rem postariam* quam *rem vehicularem*. Quum vehicularem audivi, vehicula potius

video ante mentem surgere, quam transmissionem epistolārum, sarcinarum, pecuniārum. Qui autem *postarii* sint hoc pacto, facile intelligitur, si librarii, si argentarii, si actuarii, qui sint, tenemus. Intelligimus *mandatum postale*, et, si pro hac voce, quae est *chèque*, gyrum acceptamus, gyrum postale novabimus, et vestra, Italorum, *casella postale* erit *loculus postalis*, quae ego omnia hoc ipso loco de gyro scrutans in Societate Latina anni 1933, mensis decembris, miratus eadem repperi. *Pittacium epistolare* retinebimus, quod esse poterit, meo iudicio, etiam quadrula vecturæ.

Videas adhuc constare omnia: non morili Monacenses alia atque nos, et satis magnas esse causas, cur illis assentiamur cursum publicum etiam *postam* vocari posse opinantibus. Video quasdam Celorum voices etiam ab aureae aetatis scriptoribus in sermonem Latinum assumptas esse; quanto magis nobis licebit vocem Latinae originis transferre in certam et multorum populum usu probatam significationem!

Nunc venio ad illud, quod, quum ad scribendum me contuli, esse volebam tertium. Quod ad severanter commendas lexicorum studium Latinorum, vehementer tibi assentior. Nam saepe expertus sum magnum numerum vocabulorum, quae ad usum pertineant cotidianum, latitare inter folia lexicorum, et ea ipsa ad nova vocabula facillimas dare vias, sed ideo non adhiberi, quod nostra lexica non praebant pontes satis stratos materia ex vulgari lingua in istos thesauros lexicales, in ipsius Latinitatis provinciam. Itaque si qui cuipiant perinsignes se esse, si qui egregie de genere humano universo mereri volunt, tempus et otium et operam suam locent ad faciendo hos pontes. Ex maioribus lexicis Forcellini vel Georgis ea proferant vocabula, quae multis, quod Ciceronis et Caesaris et Horatii scripta tantum legerint, neque ea universa, ignota esse videbuntur. Hic inveniemus v. g. *pyrrhicham*, *pytisma*,

pyromantiam, pythonicum, abollam, sandapilam, farraginem, duretam, sepiam, sexcenta alia — nam quae commemoravi casu in libello ita conserta habebam — haec vocabula ordine alphabeticō edenda et Latinis verbis circumscribantur et quantum fuerit necesse reddantur hodiernis linguis. Haec una pars operis. Pars altera eorumdem vocabulorum dabit suam cuique nationi quasi clavem, sed ita omnium vocabulorum Latinorum detur clavis, ut recentissimis nominibus, quae Latina respondent patefiant. Si ad talem librum accesserint propria vocabularia artis medicinae, et commercii mundani, et quae dicuntur concinnari, revirescet, credo, mirum in modum Latinitas.

Linguae autem filum, quem nos spiritum interdum dicimus, duci volo non ex lectione unius scriptoris, sed ex assidua lectione quam plurimorum. Nam expoldenda semper mihi visa est illorum diligentia, quibus suspectum esset, si quid a Cicerone vel a Caesare non esset usurpatum, proinde quasi hi duo soli linguam Latinam calluerint, quasique his primariis certe viris unquam in mentem venerit scribere encyclopaediam. Venisset utinam! Nunc video Ciceronem scribentem aedificationes suas hortorumque aquationem non multum differre a Latinitate Gellii vel Plinii. Quantam vim vocabulorum de architectura scribens posteritati tradidit Vitruvius! quam multa de historia naturali Plinius! quam multa, qui Patres dicuntur Ecclesiae!

Sed video excrescere epistolarem sermonem, breve rem praecidam. Quamdiu nos in vita retinebimus — (loquor pro me et pro popularibus meis Monacensibus) — non metus est, ne pro sermone vere Latino *artificiale* ullum introducendum statuamus, aut patiamur introduci. Semper hortabimus quicunque possint iudicare de hoc genere, ut perpetua scriptorum lectione scriptores imitati ita loquantur, itaque

scribant, ut, si qui ex mortuis revertantur antiquorum Romanorum, statim intellegant mille annos non sustulisse linguam perennem. Sed sicut nos ipsi tam breve vitae nostrae emensi spatium hodie multa loquimur quae pueris ignota erant, neque auditam unquam vocabula, ita illi in vitam reversi necessario saepe vocabula inusitata audientes interrogabunt: Quid, quaeso, hoc est? Sed radices vocabulorum plurimorum facile deprehendent, rem nunquam sibi visam illis temporibus, quod vocabula non satis denotant, sibi ostendi volent, interdum etiam vocibus uteatur mutuatis ex aliarum gentium linguis dabimusque consilium ut vocum exterarum sibi emant lexicon. In quo lexico simulatque oculi eorum inciderint in *postam*, quid rei hoc sit, principio mirentur sane. Sed illa admiratio celeritate electrica cessabit, ubi *cursor postarius* introgressus *assignationem postalem gyrumque postalem* ostenderit, stupentes docuerit in aedibus *postae* eis copiam esse mille pesetorum, quos Americani quidam, eorum posteri, miserint. Non erit periculum, ne illi in curiam aut in tonstrinam, in *horologicinam* aut *vestificinam* exemplo, sed eadem hora intellegentes, quid *posta sit*, ad *postam* properabunt. Et quoties postea conspexerint, quem tabellarium ipsi noverint ex pendente *postali pera*, quod malint sibi redi per cursum publicum postale summarum paginas, quam epistolas, ultro compellabunt: Heus cursor! Nihil nobis in *posta assignati*? Brevi illi conductent etiam *loculum postalem*, postulabunt socios *gyri*. Tantum dico: Praeter vocabula Latini Graecique fontis interdum etiam extera admittere ipsa nos cogit natura. Quid enim nuper ego dicarem, cum *Bambusstäbchen* vertenda essent? Feci *lamellas bambuseas* videorque recte.

Sed nisi finem facio, rabulam cognominabis, neque tu iniuria. Rogamus Deum, ut te tuosque semper servet incolumen. Vale.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE
LATINE VULGATAE

NOTITIAE.

DE VENIS AURIFERIS IN REGIONE VALLIS SESIAE.

Dr. V. Novarese inquisitiones ex omni parte absolutas peregit de venis auriferis in regione Vallis Sesiae. Terra aurifera italica continetur in Alpium regione, inter vallem fluminis, quod vocatur *Stura di Lanzo*, et vallem fluminis *Toce*, cum adnexit planitiebus usque ad Padum. Aurum invenitur in venis montis tamquam in sede primaria, et in festucis alluvionalibus tamquam in sede secundaria. De origine horum depositorum, et praesertim de eorum connexione cum alpium orogeneticis phaenomenis et eruptionibus, accurate Auctor disserit. In regione Vallis Sesiae intrusus habetur ingens complexus eructivus, qui componitur ex diorite de *Traversella*, ex sienite de *Biella*, et ex magna porphyritis venarum crate, quae illos circumit et connectit. Iam ab anno 1901 Auctor demonstravit hunc eructivum complexum recens ortum esse, post quem ex intrinseco exorta sunt metallifera deposita venarum, quibus certe accensenda sunt deposita aurifera quae in Valle Sesia exstant.

Omnis auriferae venae in Valle Sesia, excepta parte ossolana, iamdiu derelicta fuere, nec iam explorati nisi plumbi vel aeris causa. Antiquissima autem aetate superficietenus aurum extractum est. Auctor asserit tempus iam advenisse deposita aurifera pervestigandi, non ad metallia accessoria, sed ad metallum princeps requirendum.

Noli intelligere ut credas, sed crede, ut intelligas.

S. AUGUSTINUS.

COLLOQUIA LATINA¹

XXII

Examen.

ADOLFUS ET OLYMPIUS.

ADOLFUS. — Examen, id quod nosti, propediem instruendum dies noctesque ante oculos mihi obversatur penitusque insedit in animo.

OLYMPIUS. — Eadem res versat et coquit mentem meam. Si huic tam gravi periculo eruptus essem!

AD. — Quod iterum iterumque, ac saepius per annum non idoneas ob causas declinavi ludum, id nunquam aequa sensi ut nunc sentio quantum damni fecerim; quo circa non mediocri in dolore sum.

OL. — Me pariter aequaliterque absentiae meae, quantumvis non tam frequentis pudet, poenitet, piget.

AD. — Accedit ad exaggerandam animi aegritudinem, quod divinare non possum, quenaam interrogatur sint illi Quaesitores.

OL. — Si scires?

AD. — Addiscerem ea quam acerrime.

OL. — Estne aliquis ex omnibus, cui hoc detegere soleant?

AD. — Nullus.

OL. — Moderate igitur feramus commune malum.

AD. — Timor item solet obstare ne proximam libere at intrepide quae scio; itaque haeret mihi aqua saepe. Hinc pro inscitia ducitur, quae non fuit.

OL. — Ego, ne ut errans aliquantulum sinistre respondeam, nihil quidquam vereor; sed ne ut illiteratus plane illiteratissime respondeam, id vero non mediocre pertimesco.

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

AD. — Quid te ad istud tremendum et horribile examen praeparas?

OL. — Quidquid audivi totius anni curriculo, saepius relogo, ac repeto expositiones quantum me adiuvat memoria. Ubi quid non intelligo, de condiscipulis doctorem aliquem interrogo. Ad haec, denuo mando memoriae praecepta pro virili.

AD. — Nimium operosus labor est tam multa discere.

OL. — Operosus, at necessarius omnino.

AD. — Certum est tamen non omnia quaesituros.

OL. — Propterea instructum esse in omnibus convenit, quia quod ipsis lubet interrogant de omnibus prudenter. Si enim ordine interrogare velint universa, idque de singulis, nimis longum sit et fastidii plenum. Qui porro quaestioni cuicunque apte respondeat, is totam videtur scientiam consequutus.

AD. — Non stulte dictum. O si praeteriisset haec turbulentissima tempestas!

OL. — Subeunda et preferenda est, si optes ascendere.

AD. — Tametsi hucusque segregavi a me ignaviam in ista praeparatione, tamen cogor nervos magis contendere, tum ne reiiciar, tum ne de postremis fliam unus; cui rei, praesertim quando est maior adscendentium societas, magnaqua adiuncta turpitudi et infamia. At enim, nisi examen istuc impudens me adigeret, nunquam studia forent mihi tanti, ut eorum gratia caput adfligerem.

OL. — Non ob examen dumtaxat, sed ob futuras quoque preelectiones melius citoiusque capiendas audita repetenda et recolenda sunt, quo sic felicius et fructuosius in superiore schola versemur.

AD. — In scriptione haud leve momentum est; ibi barbarismos et soloecismos timeo, malas bestias.

OL. — Non sine causa; mordent atrociter.

AD. — Ex tempore, sine ullo libro, in

schola de arguento improviso scribendum.

OL. — Omnia denique ad exploratam progressum nostrorum et cognitionem capiendam instituuntur; ideo reprehensioni affinia nequaquam putanda sunt. Et quum huiuscmodi discrimina in annos recurrent singulos, nec ulla via evitabilia sint, redamur studiosiores; nunquam vidi diligentes excludi.

AD. — Optulemur alter alteri in ista praeparatione.

OL. — Operam meam tibi promitto.

AD. — Ego meam promitto vicissim.

MEDICAE NOTAE

De cibis tum ex regno vegetabilium ex regno animali desumendis.

Desribitur *alimentum*, quod sit omne illud quod partium fluidarum et solidarum poris, figuris et motui in corpore nostro convenit, aut non multum contrariatur.

Alimentum medicamentosum dicitur, quod praeter illas particulas alias in se continet, quae corpus nostrum alterant, et a poris et figuris sanguinis, atque consuetis aetheris motu abludunt.

Panis bene fermentatus et bene coctus continet in se acidum ventriculo gratissimum, et solo etiam odore languentes reficit. Si fuerit viscidior, in mucum acidum abit, praesertim si a furno calens adhuc assumatur, quippe particulae crassiores et viscidiores in maiore adhuc positae motu, facile poros ventriculi et intestinorum ingrediuntur, ibidemque contumaces pariunt obstructions, unde colica suos saepissime habet natales. Idem esto iudicium de placentis recentibus aliisque omnibus, quae

in glutinosam pastam facile abeunt, et propterea primis viis infensissima sunt.

Ptisana ex hordeo parata languentibus et alimentum et medicamentum praebet. *Oryza viscidior* est, unde magis flatulenta, et ventrem sistit. *Iuscula avenacea* tenuitate sua corpus facile permeant, et tussientibus, phthisicis, astmaticis, hypocondriacis, aliisque tenui utentibus valetudine, apprime convenient. *Milium terestre* est, et corpori crassum praebebat pabulum.

Omnia legumina sunt flatulenta et viscida, praesertim torrida et exsiccata: quo ergo diluta magis et humida adhuc erunt, eo erunt meliora. Corrigi debent aromaticis, viscidatatem temperantibus.

Raparum particulae dupli sunt generis: crassae terrestres, subtile et tenues: illae per primam coctionem auferuntur; hae reclusa magis in decocto secundario testura evocantur, unde secundarium raparum decoctum obtinet vim diureticam, lympham crassam incidendi et acidam corrugandi, atque in tussi, quartana, melancholia et dysuria prudenter commendantur.

Radices sisari, napi, pastinacae copiosum suppeditant chylum.

Radix petroselini difficilis coctionis, et difficilioris digestionis est.

Raphanus sylvestris est scorbuticorum solacium; hinc in cruditate acida corrugenda, in hypocondriaca et obstructionibus viscerum tollendis praesentaneam spondet opem.

Raphanus sale volatili abundat, phlegmate magis diluto; resolvit mucum in primis viis, bilis visciditatem emendat, et succum pancreaticum detinet in officio, flatus discutit et urinam potenter movet.

Allium sale suo volatili acri corrigit lympham acidam et viscidam, succos magis fluidos reddit, et vermes necat. Multis tamen ob vim agitatoriam, qua gaudet, infestum est et in imo ventre non minus, quam in capite turbas excitat. Ab hoc gradu differunt *coepae, sinapi, porrum*.

Endivia, portulaca, rapunculus esculentus, beccabunga, flos boraginis, buglossae, nasturtium aquaticum phlogosin et bilis aestum temperant, somnum conciliant et salia acria diluunt.

Bellis minor et *nummularia* phthisicis sunt solacio.

Asparagus, chaeropholium, petroselinum, chelidonium minus, nasturtium hortuense, cochlearia, lupulus, alleviant scorbuticos, urinam cient et asthmaticos iuvant.

Inter herbas culinares sunt *beta, blitum, atriplex sativa, malva, spinachia, brassica alba et rubra*, quae alvum blonde subducunt, et humectant, atque simul aliquod praebeant pabulum.

Brassica capitata, muria condita, turbas in primis viis movet, sanguinem tumultuarie fermentat et capiti nocet.

Interim nitimur in vetitum, et hanc theriacam ferculorum etiam praeter meritum inter delicias ponimus.

Pyra et *Poma aromatica* melancholicis et hypochondriacis apprime convenient; *dulcia* alvum servant lubricam, *acida* aestum temperant, *acerba* et *austera* potenter adstringunt. *Cydonia* temperata sua aciditate dicata sunt ventriculo.

Amygdalae dulces et *passulae* multum nutritunt. *Amygdalae amarae* reddunt vias urinarias patulas et ab ebrietate praeservant. *Nuces iuglandes recentes* copiosum chylum suppeditant; *exsiccatae annosae*, oleo rancido et acri, pectori et capiti nocent: idem iudicium esto de *avellanis*. *Glandium* et *castaneorum* particulae sunt crassae et valde viscidiae; quod si tamen a potentiori fermento in primis viis attenuentur, chylum pinguem et oleosum suppeditant.

Nuces pineae et *pistaceae* optime nutritunt, humorum acrimoniam temperant. *Cappares* conditi acescant in ventriculo et difficulter coquuntur. *Olvae* abstergunt et mucum stomachalem detergent; earumdem oleum assumptum diffudit se per totum corpus, si quidem meatus fuerint patuli, san-

guinem ceterosque succos temperat et primas vias lubricitat, omni aetati magnum praesidium.

Pruna, mala persica, mora, fraga, melones, cucumeres facile in liquamen putridum abeunt, fermenta viscerum destruant et praevia fermentatione acriora spicula extravertendo cholera, alvi fluxum, colicam et varii generis febres producunt, Ridiculum sane est, quod vulgo praetenditur de vi refrigerante, quasi vero illa quae refrigerant, hoc est succorum vitalium motum sistunt, ad vitam protrahendam sint idonea.

Fungi prodeunt ex sordibus terrae et in corpore nostro in sordes revertuntur. *Saccharum balsamica* sua vi temperat lympham pectoralem acriorem factam; vi autem acida rodit ossa, et sanguinem cum ceteris succis acriorem reddit, sicque venenum in cauda habet: mel est in ore, fel in corde.

(*Ad proximum numerum*).

WALDSCHMIDT.

ANNALES

Italianam inter atque Aethiopiam discrimen.

Itali in orientali Africa haud quidem in suis victoriis recumbunt. Diximus hinc ultra Negelli urbem, inde post montem Latam pervenisse: die xvi mens. Februarii a Makallè procedentes Amba Aradam, strenue ab hostibus saeptam atque munitam, aërea atque terrestri vi aggressi sunt, occuparunt, copiis Molughietà principis, iamque Aethiopici imperii bellicis rebus praepositi, fusis atque fugatis ingentique hominum, armorum cibariorumque praeda facta.

Deinde Aderat suam fecerunt, atque demum in suam potestatem iterum Amba Alagi redegerunt, acceptas ibi olim ab Italicis iniurias ulciscentes. Neque satis; nam sine mora duos alias Aethiopum exercitus, alterum a Cassa, alterum a Sejum principibus ductum, adorti, eos quasi candenti forcipe torserunt, contrivere, dum in Scirè provincia impetum adversus copias Immerū principis faciunt, magna que caede conterunt ipsumque ducem in praecipitem fugam vertunt. Hisce victoriis domini omnino Itali facti sunt Tembien regionis omnis usque ad Tacazzè flumen, cuius et vada tenent, mediaeque Abyssinia sibi vias aperuerunt.

Genevae autem dum Nationum Societas de vetando insuper, ad sanctiones amplificandas, in Italiam petrolei commercio studet, consilia sua decepta videt, iis accedere renuentibus Americae Septentrionalis Civitatis, quae legem suam de in alterius ullius partem non inclinando ad annum et ultra prorogabat: atqui illic tantum petrolei habetur, quo Italicae necessitati subvenire omnino liceat.

Foedus inter Gallos atque Russos sanctum.

Exeunte superiore anno, Galli cum Russia foedus mutui auxilii ferierunt, quod his diebus tum coetus legibus ferendis tum senatus auctoritate, licet non sine aliqua difficultate, est confirmatum. Obstiterunt praesertim — neque id mirum — rerum conservandarum ordinisque studiosi, timentes, fortasse non immiterito, ne inde Russorum depravatorum morum influxus Galliam sit invasurus; atque non minus Germaniae reactionem veriti; quippe quae inter duos focos posita fuerit. Neque minus adversati sunt et repugnarunt «Clamatores regis» illi, qui vulgo nuncupantur, quique tumultus excitare conati sunt;

frustra vero atque suo damno; eorum enim non pauci a publicae securitatis militibus deprehensi sunt, carceribusque traditi.

Ex Hispania.

Hispanica comitia socialistarum factioni favorabilia evasere, qui summa imperii statim potiti sunt, vinculaque solverunt viginti millibus et ultra captivorum, qui politiae rei causa damnati fuerant: atqui titulo hoc congregati et ii erant, qui, communistarum sectae asseclae, vastationes, incendia, ruinas perpetraverant: libertati redditi gestane sua renovabunt?...

POPLICOLA.

VARIA

De libera Imperatoribus administrandi belli potestate a Romanis facta.¹

Historiam Livianam cum fructu legere volenti, perpendendas esse censeo singulas populi Romani actiones et progreendi modos ab iis observari solitos. Imprimis autem memorabilis est summa illa potestas, quam faciebant consulibus et dictatoribus in bellum profecturis, ut pro animi arbitrio omnem belli rationem administrarent. Postquam enim ex Senatus auctoritate populus semel bellum decrevisset, eius administrandi potestas consuli tradebatur aut alteri cuiquam imperatori: Senatus sibi confirmatae pacis auctoritatem tantummodo reservabat, et ius alia bella movendi; cetera omnia ab Imperatoris auctoritate pendebant, penes

¹ Ex NICOLAI MACCHIAVELLI opere *De republica disputationes ex prima decade T. Livii*, latine vertit H. BINDI.

quem potestas erat dimicandi, aut a pugna abstinendi, hanc aut illam urbem expugnandi, obsidendi aut ab obsidione liberandi, et cetera omnia belli munera pro arbitrio obeundi. Haec ita se habere possumus quam plurimis exemplis demonstrare; sed ex omnibus unum sufficiet evidentissimum.

Quum bellum adversus Thuscos Populus Romanus gereret, victis apud Sutrium hostibus, deliberabat consul Fabius de transeunda Ciminia sylva, ut ad Hetruscos perveniret; nec in re tam periculosa, qua in aliam regionem transferri videbatur, Senatum ullo modo vel consulebat, vel instituti sui certiorem faciebat. Quanti momenti autem esset illa res, super qua non censuit consulendum senatum, apparebat ex senatus consulto, eadem de causa a patribus facto. Nam quum horribiles essent saltus Cimini, et recens extaret Caudinae cladis memoria, Senatus, cognita victoria Fabii, quam ad Sutrium obtinuisse, legatis ad eum missis, mandavit ne Ciminum saltum transiret. Sed quum illi serius venissent, quam ut hoc institutum Fabii impedire potuerint, quod is et saltus illos iam transivisset, et late depopulatis Hetruscorum agris, fusisse iis, iam rediisset victor in castra, nuntii novae victoriae Romam redierunt.

Hoc populi Romani institutum si quis penitus contempletur, prudentissime ab eo factum concipiet, quod tam amplam administrandi belli potestatem Imperatoribus de singulis rebus atque institutis voluisse, minus circumspectos eos effecisset, magisque lentos ac desides, quod victoriae gloria non illorum propria, sed cum Senatu communis fuisse videretur. Praeterea intelligebat facile Senatus variam esse belli fortunam, et praecipites rerum gerendarum occasiones subinde oriri, quas solus et intelliget et arripere potest qui praesens rebus agendis adest. Itaque si ipse consultare voluisse de rebus, quas coram cernere non poterat, multis modis errare potuisse,

quamvis ex viris constaret rei militaris perittissimis.

Itaque Imperatori potestatem faciebat omnia pro arbitrio administrandi, eique victoriae gloriam universam concedebat, ut esset stimulus atque calcar, ad recte prudenterque omnia administranda.

Censui autem disputandum de isto populi romani instituto, ut ostenderem Respublicas, quae nostro tempore celebres sunt, hac in parte plurimum errare. Nam — ut de ceteris taceam — Veneti ac Florentini certe, singula, quae ab Imperatoribus fiunt, et cognoscere et consilio moderari volunt, ut ne tormenta quidem bellica illi ad fe- riendam urbem aliquam vel alio loco, vel aliter collocare ausint, quam in mandatis habeant a Senatu. Sed haec omnia talia sunt, ut non aliam laudem mereantur, quam alia quoque huiusmodi Rerum publicarum consilia prava, quibus ad illum statum, in quo iam sunt reductas illas novimus.

Vulpecula ac tintinnabulum.

Vulpecula habitabat prope flumen. Non procul inde alligatum arbori tintinnabulum erat, quo ventis impulsu omnia circum loca resonabant. Vulpecula, cui ignota vox illa erat, metuebat ne quid ferae et immanis bestiae tales sonos ederet. Tandem pensim et placide arrepens, perspectaque tintinnabuli inanitate, cuius strepitibus nihil subeset vitii: « Nunc deinceps non facile — inquit — specie et opinione percelli animum meum patiar ».

Monet fabula multa opinione magni fieri, quibus praesentibus nihil sit timendum.

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus

ESCARUM ORDO:

Oryza Mediolanensium more condita.
Leporina caro suaviter aspera.

Cammari fricti, helvellis ornati.
Pectus vitulinum in furno decoctum.
Cymbulae ex farina subacta, pomorum liquamine onustae.

Aenigmata.

I

Non epulas cupio: siccis date pocula labris:
Munere potandi fungor in orbe bibax,
Nec cyathis alvum repleo (non profero gerras)
Haurirem quamvis gutture vitis opes.
Qua frontis nitem specie qui scire peroptat,
Hoc fateor verum: os est mihi guttur hians.
Dum me caupo tenet, mulcet tunc blanda volu-
[ptas,
Et placet ad colles pergere, et arta placent.
Me nullo stipante latus, non vascula sicco,
Mendicabo alvum, quem mihi potus erit.
Quum cyathos haurire datur, tunc sorbeo Bac-
[chum,
Vinco centenos ore bibente, viros.
Si larga Bromius dextra mea vota secundet,
Nectares rori gaudia iuncta bibam:
Tunc pariam vobis foecundo e palmitae potus,
Et praesens nostro gutture munus erit.

II

Syllaba prima iuvat largos, deterret avaros;
Altera bestiola est, in toto saepe latescens.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) *Pecten*; 2) *Viator*;
Victor.

LIBRI DONO ACCEPTI

Prof. Dr. G. MERTEN, *Canta latine!* (Edid. Ferd. Dümmlers Verlag — Berlin/Bonn. — Pr. Mk. 1,50).

JUXICUS-BECHER, *Der lustige Lateiner* (Indi- dem — Pr. Mk. 2,25).

CAPELLANUS-LAMER, *Sprechen sie Lateinisch?* (Indidem — Pr. Mk. 3).

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonei.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[4]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

AT. Quid censes, Publi, somnus istic fuit? At somnus hic
Nonne eius erga patrem amore partus est?
MU. Tu vidisti patrem? mihi nunquam illum videre contigit.
AT. Tu patrem vidisti nunquam, mi gnate miserrume.
MU. Utinam semel eum videam! — PU. Mox a te videbitur.
AT. Audite, filii: voster mox revortetur pater,
Ait Publius, fidem qui non consuevit fallere.
Equidem multum mihi de verbis istius spondeo.
Tandem aliquando dies fortunae nobis appetet.
Pro hac re fratri vostro habete sultis gratias.
SE. Benigne dixisti, tu frater mi carissime.
MU. Hercle tu es Publius mihi carissimum.
AT. Eho non sic, non verbis, quae evanescunt statim,
Sed per facta refert civis Romanus gratiam.
Quom iam vere arma poterunt vostra bracchia
Gestare et frater voster ad bellum iverit,
Eum sequamini sultis, ubique pugna coepert
Et hostes in Romanos irruerint saevissimi,
Tum pro scuto sint fratri vostra pectora,
Quae vostro erga fratrem amore ardent maxume;
Quomque sanguis vester effluxerit, laetamini
Et pro numero volnerum agite sultis gratias.
SE. Ego pol ad hoc sum parato, frater, animo.
MU. Ego quoque. — AT. Equidem istuc ecaster non video,
Sed laeta ac beata vos adspiciam ex Elysio;
Nam mors mihi doloribus adproperatur maxumis
Sique diei huius spes evanuerit, brevi finiat.
Postillac tu eris pater eis, nonne, Publi, et virtutibus
Erudies istos omnibus? Promitte istuc mihi.
PU. O di! fiat. Valete. — AT. Unum etiam verbum eloquor:
Mihi crede sis, novi ego pulcrum illud proelium,
Quod cum animo tuo committis tam fortiter.
Hoc ego quoque plane sentiens magni ted aestumo.
PU. Magnam vim addit filio matris aestumatio.
Fiat, quod tu vis; equidem iam ad opus adgredior.
Valete, mox inter nos videbimus. OMNES: Vale.